



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXXVIII. D. Heribertvs. XVII. Arch. I. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)



SERIES
ARCHIEPISCOPORVM SIMVLQVE
ELECTORVM COLONIAE.

PERIODUS III.
SECVLVM XI.

XXXVIII. D. HERIBERTVS, XVII. ARCH.
I. ELECTOR.

INter Imperii Septem - Viros à Gregorio V. Pontifice, & Ottone III. Imperatore providè constitutos venit meritò D. Heribertus, natus Rottenburgi ad Tubarum in Franconia Comes, Henrici Episcopi Herbipolensis frater Germanus. Dum in Archipræsulem Coloniae est electus à Canonicis, Beneventi agebat in Italia in rebus cunctis præstò adfuturus Ottoni Cæsari, qui nuntiis ex Germania allatis rei certior factus, absentium Heriberto hanc brevem misisse fertur epistolam Augusta manu exarata: *Otto Imperator Augustus sola Dei gratiâ, Heriberto Archilogothetae gratiam suam & Coloniae & Pallii cubitum unum vale.* Romam Benevento profectus, & Pallio exornatus Heribertus rediit Coloniae, primò parùm gratus D. Henrico Ottonis III. Successori, eò quòd Heribertus dissidentibus ab Henrico partibus favere nosceretur, & relicta ab Ottone Imperii insignia æquo tardiùs Henrico tradidisset. Accessere non modici momenti argumenta alia, quibus persuasus Imperator, & veluti existimabat, jure iratus, aut Electorem castigare, aut penitus Sede pellere meditabatur, quod ipsum fradebant inimici multi. *At secundum quietem videre sibi præsentem visus Antistitem oris & vestis majestate Augustum affarique: cave Imperator in hunc conservum meum*
Heri-

Heribertum gravius quicquam aut statuas aut designes; nec ipsius unice Deo carum caput esse acceptumque nescias; quare si quicquam erga eum fueris commertus, quod nolles, ejus haud dubie erit severa tibi quandoque reddenda ratio. Haftenus Brovverus, & ferè similia habet Kranzius in sua Saxonia pag. 97. hisce verbis claudens de Cæsaris & Archipræsulis causa narrationem: Inde Imperator Henricus natalem diem Coloniæ celebrans, Heribertum Archiepiscopum, olim à se malè habitum, satisfactione placavit. Cui reconciliatus Archiepiscopus prædixit, se propediem moriturum, quod & factum est, claruitque mortuus miraculis. Inter miracula D. Heriberti verò, quod mirandum maximè, numerant Scriptores etiam Heterodoxi. 1. Energumenum dæmonio liberavit. 2. Aquam, qua manus lavit, in medicinam saluberrimam convertit. 3. Vino, cui digitum intinxit suum, cæcutienti fœminæ beneficium lucis restituit. 4. Potenti oratione sua cœlesti lumen sibimet impetravit. 5. Henrico II. Cæsari, & sibi diem mortis prædixit vates. 6. Choreis contra interdictum Ecclesiæ tentatis & continuatis, & inde hominum saltu continuo divinitus punitorum miseriis, in pago Kolbeck precibus suis optatum finem imposuit. Fine quievit ipse beatissimo an. 1022. bienio ante D. Henricum. Sedit an. 24.

XXXIX. PILGRIMUS. XVIII. ARCH.
II. ELECTOR.

Pilgrimus ex pauperibus natus parentibus, dum Grammaticæ elementis navavit operam, cantando juxtà ac mendicando victum quærere more multorum cogebatur adolescens. Hildeshemii ea ætate sedebat Episcopus D. Bernvvaldus, cuius aures suavi medodia stans ante fores Pilgrimus cum mulceret, continuo Episcopus illustratus vaticinio, suis dixit domesticis: adducite mihi Archiepiscopum Coloniensem. Præter mendicabulum nemo præ foribus est, reponebant domestici: tum verò Bernvvaldus: atqui hoc ipsum mendicabulum erit Archiepiscopus Coloniensis. Adhibitus dein mensæ Principis, & bene pastus vaticinanti Bernvvaldo promisit, se grates denuo habiturum ad aram, cum primo